

128.
D. D.

DISSE^TAT^O PHIL^OSOPH^ICA,
DE
**FUNDAMENTO
CULTUS DEI
NATURALIS,**

QUAM,

*Consentiente ampliss. Senat. Philosoph. In Reg.
Academia ABOENSI,*

PRÆSIDE

VIRO CL.

**D_N. ALGOTH^O A.
SCARIN,**

HISTOR. & PHILOS. CIV. PROFESS. Reg. & Ord.
ACADEMIÆQUE BIBLIOTHECARIO,

Publico examini modeste submittit

**ZACHARIAS KÖRSNER,
CUPRIMONTANO-DALEKARLUS.**

In Auditorio Majori, die XXI. Decembr.

Anni MDCCCLVI.

H. A. M. S.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc,
Finland, JACOB MERCKELL.

Lau. 84. R

Amplissime atque Consultissime VIR,
**D^N. GUSTAVE AD.
EDMAN,**

Provinciae Dalekarl. SECRETARIE vigilantissime,
ADFINIS DILECTISSIME.

BENEFICIA TUA, VIR amplissime, mibi abunde praestata, quoties animo meo recognosco; toties discordet tumultu exardescere sentio mentem meam. Modo enim latitia afficior, modo sensus meos intimos non levis dolor pungit. Blando quodam voluptatis sensu perfundor, cum diem recolo, quo in Tuam familiaritatem pervenire mihi contigit; ab eo enim fides meas assiduo fovisti, promovisti. Sed distractabitur dolore pectus meum, quod eniti ego, efficere que adhuc nil potuerim, quo benevolentiam Tuam provocare in posterum & perpetuo devinctam mibi tenere queam. Velle, ADFINIS optime, prolixum Tuum in me ornando sordium dignis laudibus extollere possem; sed quo magis ingenium meum in illa arena exerceo, tanto ad tristem verborum inopiam me magis redactum animadverto. Ne vero in ingratum munera Tua contulisse sis censendus, putiaris, enixe rogo, nisum in literis emergendi academicum huncce, tenerrimi illius, quo Te hactenus prosecutus sum, amoris obsidem, pietatisque in posterum neque intermoritur & sponsorem salutari. Cui si voto meo Tute vocem Tuam voluntatemque adscripseris, pro Tua Tuorumque perenni prosperitate, suspiria ad Supremum NUMEN fundere nunquam intermissurus sum,

Amplissimi NOMINIS TUI

*ex animo cultor,
ZACHARIAS KÖRSNER,*

§. I.

Dest prævaricationem primævam, indeque contractam cladem, multum licet deliqui passa sit mens humana; ea tamen, quod pie sentimus, adhuc pollet nativa cognoscendi vi, ut absque operosa ratiocinandi serie animadverte re queat, Deum existere, ideoque toto pectore religiose colendum esse. Mirari igitur convenit non olim modo, sed etiam propiori ævo exstisisse homines, tanto impietatis cœstro percitos, ut communissimam hanc notionem si minus extirpare, simplicioribus saltem fidem facere aggressi sint, honorem cultumque Divinum in numerum finium nec a parte Dei, nec hominum referendum esse, quum supremum illud ENS, absolutæ perfectionis suæ intuitu, ab eodem, præstito aut non præstito, ne minimum quidem incrementi capere possit. Sed nec defuere veritatis coelestis præclari vindices,

A

qui

qui super virgine cœlo non indigna hac ipsa dudum feliciter certarunt, seque in refecanda pestilentissima hac gangræna satis fortes præbuerunt Agamemnonas. Nos igitur, post tot amplissimas victorias, minus necessarium ducimus, eandem aciem de novo instruere, & adversus hostem devictum vel arma antiqua movere, vel nova cudere. In eo potius nostra qualiscunque versabitur opera, ut **FUNDAMENTUM CULTUS DEI NATURALIS** paucis delineatum exhibeamus. Huic vero negotio rite obeundo, si non sufficient, uti non sufficient, ingenii tenuitas & curta rerum supellex, eam abs te B. L. humanitatem eumque favorem, qui juvenilibus debetur ausis, prolixiori animo, quam stilo expetimus.

§. II.

QUONIAM, secundum **CICERONEM**, omnis disquisitio, quæ cum ratione suscipitur, a definitione proficiisci debet, ut, quid sit in primis illud, de quo disceptatio instituatur, cuivis constet; priusquam vela ventis dare, infirmamque ratem meam pelago committere ausim, in ipso statim limine notare convenit, per cultum Divinum heic nihil aliud intelligi, quam declarationem honoris & obsequii erga Deum, sive illa intra mentem peragatur, sive signis factisque externis exprimatur. Ad religiosum ejusmodi actum omnes in universum homines obligari, ut nemo, nisi atheistico furore corruptus, facile inficias iverit: ita in fundamento & origi-

origine ejusdem indaganda, in diversa plane absunt philosophi. Atque ut inter ejus generis saltatores restim ducere HOBBIUS non immerito censetur, ita videmus eum quoque ex potentia irresistibili eandem arcere, nixum decantatissimo suo principio: naturam dedisse omnibus jus in omnia. *Jus omne in alios*, ait, *vel est a natura vel pacto.* A natura id jus derivatur, eo ipso, quod per naturam non est sublatum. Cum enim per naturam jus esset omnibus in omnia, unicuique jus erat in omnes regnandi ipsi naturae coerum. Quod si quis ceteros potentia in tantum anterisset, ut resistere ei ne omnes quidem conjunctis viribus potuissent; ratio quare de jure a natura sibi concessio decederet, nulla omnino fuisse. Mansisset igitur ipsi jus dominii in ceteros omnes, propter potentie excessum, qua & se & alios conservare potuisset. His igitur, quorum potentiae resisti non potest, & per consequens Deo omnipotenti jus dominandi ab ipsa potentia derivatur. De Civ. C. XV. §. V.

Ast summa imis & quadrata rotundis miscet Hobbius, dum obligationem cum coactione pari passu ambulare sibi persuadet. Nam licet vel maxime, si extrinsecus solum considerentur, eundem, qua externa, effectum producere videantur; attamen si internam rei naturam; si modum, quo utraque effectum consequitur, penitus intuearis, differentia non levis certe in propatulo erit. Quippe cum obligatio rationibus tantum voluntatem stringit; coactio nihil nisi vim & violentiam ostentat, impellendo ad actionem rei ingratæ per mali-

imminentis sensum. Quid, quod coactis licet omnino frustraneum sit, ad vim metumque spectanti potestati resistere velle, cum eo ipso non tantum offendatur, verum etiam ad majus malum inferendum incitetur: jus tamen iisdem, puta coactis nihilominus manet, quo demumcunque modo possint, jugum cervicibus impositum excutiendi. Unde vel me tacente, res ipsa loquitur, per considerationem potentiae divinae metum quidem & terrorum incuti creaturis, ut eundem cultu religioso prosequi velint, in cuius indignationem incurrere, res est aleæ plenissima: nequaquam tamen animos earum ita convinci, ut se debere legi conformiter vivere, & si quid eidem contrarium admiserint, se crimen contraxisse, poenamque ceu servos ac subditos commeruisse & fateantur, & agnoscant.

§. III.

VIdit hoc, proque eo, quo pollet, acumine, magis sedulò & sollicitè digessisse videri vult celeber. CANZIUS, qui ut solidius substitueret fundamentum, cum potentia Dei connectit finem optimum. Quæcunque, ait, potentia tendit ad impetrandum finem absolute optimum, quo non excogitari potest melior alter; nempe ut infinite sapiens & potens benignitas reddatur, quoisque licet, demonstrabilis: illa potentia habet summum jus. Sed Dei potentia creando tetendit in illum finem &c. summo igitur, seu infinito jure gaudet. Med. Phil. §. 522. Sed neque hanc sententiam,

tentiam, quamecumque mentiatur speciem, firmiori
subsistere tali, jure mihi met contendere posse vi-
deor. Nam unde, quæso, injuste te egisse consta-
bit, si inter collineandum ad finem absolute optimum,
a scopo forte aberraveris? Profecto, stan-
te hoc fundamento Canziano, nihil aliud inferre
poteris, quam te contra commoda tua impruden-
ter quidem egisse; eam vero ob causam non tam
contraxisse reatum culpæ & pœnæ, proprio & for-
mali sensu sumtæ, quam potius reatum ad da-
mnum consequens ex fine optimo non obtento
oriundum. Et quid multa? In confesso est apud
omnes, ex intentione utcunque bona illius, cu-
jus interest, recte progrediendi & proficiendi, ma-
jorem tantum produci aptitudinem & dispositionem
ad honorem & obsequium accipiendum; faculta-
tem vero moralem illud exigendi non inde statim
emergere. Quemadmodum nec minus verum,
creaturas nihil omnino habere, de quo glorien-
tur, quodque jure perfecto a creatore suo expo-
scere queant. Hinc si vel maxime supremas re-
rum Diribitor minus boni in easdem conferret,
ac reapse contulit, non illico tamen illimitato
suo jure excideret. Nec quicquam valet exceptio
Canzii: Si minus boni in *creaturas* Deus conferret,
ac contulit revera, tum jus ejus in *creaturas* tantum
effet externum, i. e. tale cui nemo posset resistere:
non effet internum, quod semper ad finem dirigitur,
qui non derogat alteri meliori. I. c. Benicia enim,
qua talia, nempe vulgaria, grato animo conservari
debent,

debent, imo reverentiam & venerationem conciliare; neutquam vero jus internum pariunt, beneficiorumque benefico subditum faciunt subjectumque. Sic quamvis servos nutriamus, quamvis etiam cœu cordati heri illorum commodis utilitatique, quoad fieri potest, prospiciamus; obsequium tamen, quod nobis præstare debent, non ex hoc, sed alio & quidem limpидiori, puta perpetui ejusdemque perfecti juris fonte derivandum esse, notius est, quam ut operosa egeat probatione.

§. IV.

Speciosius est fundamentum, quod post GUIL. TWISSUM (a), tradunt CALOVUS (b), SCHOME-RUS (c), aliique plures, quippe qui ab ~~magno~~ teu ex ipsa naturæ Divinæ præ humana infinita præstantia illius colendæ rationem omnem deducendam esse arbitrantur. Urgent, Deum ob id colendum esse, propter quod Deus est; at propter naturam divinam Deus est, ergo & propter eandem colendus. Addunt ipsam eminentiæ perfectionisque qualitatem talem esse, ut eam cœu naturale quoddam consequens comite-tur honor; Deum nempe, ut omnia eſent ordinatissima, hanc cuilibet rei indidiſe indolem, ut quea in ea sunt perfectiones, debito maſtentur aestimio. Hinc si hominem virtuosum dignum putamus, cuius aesti-metur virtus, quanto maius obsequium & bonos Deo vel ideo deferendus, quod infinita excellentia altissima quevis supereret. Eandem fere sententiam re-coxit FRANCISCUS SALIGNAC FENELONIUS archiepisco-pus

pus Cameracensis, qui sub finem superioris seculi tractatum edidit, sub titulo: *Maximes des Saints sur la vie interieure*; in quo cum varias amoris species commemorasset, ceteris procul facessere jussis, in hac sola confidit, quæ omnem prorsus propriæ salutis ac felicitatis respectum excludit, Deumque tantum propter semetipsum colendum esse jubet. Sed ut ut hæc hypothesis profundæ erga supremum Numen reverentia speciem præse ferre videatur; accuratori tamen lance ponderata, in vanæ abstractionis limo lutoque desinit. Nam si amor, quo Deum religiose complectimur, erit actio prælucente intellectu & decernente voluntate suscepta, si erit illa cum obligatione præstandi conjuncta, sufficiens ratio rei suscipienda adsit opportet; quin, fieri debet etiam modo humanæ naturæ conformi, cui constans ac velut inevitabile innexum est felicitatis desiderium, non nisi in summo bono exsatiandum. Scite non minus, quam pie Augustinus: *DOMINE, creasti nos a TE, & irrequietum est cor nostrum, donec redeat ad TE.* Num itaque cultus divinus exterminabit infinitæ felicitatis desiderium, quo mentes nostras, quasi sacro quodam thyrso tactas, ad Deum ipsa ducit natura? Profecto cum nullæ obligationi nisi per repræsentationem boni, vel mali possibilis sit, id quod inter omnes constat, qui fructum philosophiæ practicæ primoribus labris degustarunt: quo pacto fons & origo obligationis ad honorem & obsequium Deo præstandum, in sola naturæ excellētia

tia & perfectionibus ejus absolutis, sine ulla ad nos facta relatione, collocari possit, nisi lusu ingenii auras captare velimus, res omnino dijudicatu perdifficilis est. Videant interim secus sentientes, ne respectum bonitatis Divinæ, indeq; resultantis felicitatis nostræ excludendo, incauti in Epicureorum veterum & hodiernorum castra transeant, utpote qui Deum quidem admittunt, sed tanquam Ens sibi relatum, quod nulla universi tangatur cura, nihilq; vel boni vel mali in nos conferre velit. Nec quicquam hic ad rhombum faciunt allata argumenta, quippe quæ nihil aliud evincunt, quam *ἀξίαν*, seu dignitatem illam naturalem, ex perfectionibus Divinis resultantem, quæ per se quidem admirationem & cultum meretur, sed cuius tamen ea est natura ac indoles, ut si quis illam susque deque habuerit, magis contra *πάτερα* fecisse censeatur, quam poenam commeruisse, si nempe alio titulo non fuerit obstrictus. Quid, quod iisdem argumentis, si valida forent, probari posset, nos ad angelos omniumque sanctorum manes religiose colendos arctissimo obligationis vinculo teneri; quod tamen impium esse, & majestati Divinæ plane pleneque adversum, nemo facile ignorat.

Vid. (a) Hochst. Diff. Sel. pag. 206. (b) In con-
fid. Arm. p. 156. (c) Theol. Mor. cap. 6. §. 7. 8.

§. V.

ASt sicubi alias, heic certe magnopere caven-
dum, ne immodicæ abstractionis Charybdin
evi

evitaturi, in irrationalis philautiæ Scyllam cum
 Illust. **WOLFIO** incidamus, qui ut doctrinæ Jur.
 Nat. in universum: ita & cultui Divino, *perfe-*
ctionem propriam fundamenti loco substernendam
 judicat. Etenim experientia, Fidissima illa rerum
 magistra condocemur, haud raro flagitosissimos
 homines nulla non genera bonorum in promptu
 habere, quæ perfectionem juvent; contra bonos
 fortuna nunquam non adversa agitari, & fere
 plus quam iniqua. Quod si igitur ex perfectione,
 in hac rerum serie obtinenda, nostra ad cultum
 Divinum obligatio esset æstimanda: nemo non
 videt, sæpius hanc nullam fore, saltem valde in-
 certam. Nec juvat ideam perfectionis eo usque ex-
 tendere, ut omnem, quæ post hanc scenam ex
 cultu Divino certo certius ad nos fluit, felicitati-
 tem atque beatitudinem suo ambitu comprehen-
 dat. Præterquam enim, quod *a uerâ morte in suis*,
 omnem dubitationem, in fidelium pectoribus de-
 lens, non ex lumine naturæ, sed sublimiori fonte
 hauriri debeat, non video sane, quo paeto idea
 perfectionis tam late sumta, cultui Divino tan-
 quam basis ac fundamentum subjici queat, nisi
 forte cum **ZVINGLIO** statuere velimus, beatitudi-
 nem æternam naturali probitate posse obtineri.
 Saltem asseveranter dixerim, sub ista hypothesi,
 officiorum secundum jus naturæ ordinem penitus
 omnem interverti, manifestationem perfectionum
 divinarum mercenariam fieri, nec in Deo colen-
 do gloriam ejus, sed quæ nobis salutaria saltem

videri poterint, tanquam finem ultimum intendi debere; id quod indolem cultus Divini penitus evertit (§. II.). Sed ais forte: *perfectio propria consistit in aptitudine representandi perfectiones divinas*, & ideo *perfectio nostra est finis ultimus actionum nostrarum, nec nisi formaliter spectata a gloria Divinae manifestatione differt*. Evidet non diffiteor, sed concedo potius, eatenus recte dici gloriam Divinam nostræ inesse perfectioni, quatenus hæc ipsa eodem modo, ac totus mundus physicus, bonitatis, sapientiæ, ceterorumque attributorum Divinorum documenta nobis sistit; sed qua, quæso, consequentia inde colligas, perfectionem propriam omnium nostrarum actionum, & ipsius quidem cultus Divini, ultimam esse mensuram? Perfecto, quam verum est hoc: quicquid tanquam bonum ideo tantum amatur, ut ad aliud consequendum auxilio vel instrumento sit, illud, si rem rite perpendas, non amatur: tam certum quoque haberi debet, quod cultus & amor, qui sola mercedis ostentatione ad Deum trahitur, non Dei sed nostræ utilitatis ac commodi dici mereatur. Quid, quod Deum colere propter bona tantummodo, perinde est ac Divinam Majestatem perfectione nostra inferiorem reddere, & commoda nostra in thronum quasi Dei adoranda evehere. Digna omnino sunt, quæ heic apponantur verba beati Augustini: *Neque ad aliud, inquit, Deus est referendus* (i. e. non propter aliquid, a se distinctum finaliter amandus) *quoniam omne, quod ad aliud refer-*

referendum est, inferius est, quam id, ad quod referendum. Absit tamen, ut cum Mysticis ea propter motiva cultus Divini, in bonitate ejus relativa fundata, ceu spuria traducamus. Aliud enim est, “ colere Deum intuitu propriæ felicitatis, tanquam“ a Deo separatae, aliud eandem respicere, tan-“ quam effectum unionis cum Deo, & necessari-“ um, summi boni consequens.“ Prius per modò de- monstrata Deo indignum judicari debet; posterius autem eo innocentius est, quo certius constat, su- prenum Numen non tam velle, ut nosmet ipsos sub prætextu zeli ac devotionis destruamus, quam potius ut amorem nostri ipsorum, & rerum extra nos positarum amori Divino subordinemus, eo- demque nobis nihil prius, nil devotionis nostræ affectui sanctius obvenire posse decernamus.

§. VI.

Nicus igitur & genuinus cultus Divini fons remanet *omnimoda* nostra a DEO dependen-*tia*, quod & singuli, quibus veritas curæ cordique est, facile concedent. Deus enim non tantum in- tegram hanc rerum ~~um~~ omnesque in universum creaturas, e nihilo prodire jussit; verum etiam res a se creates conservat, suoque insuper concursu activitatem earundem sustentat, ut ad agendum reddantur idoneæ. Si jam omne opus, in quan- tum tale, sui est artificis; si vas est figuli, a quo effingitur; quidni Deus creaturas rationales opere

creationis ac conservationis, sine quo ne quidem existere possunt, suas sibi vindicet? Quin, cum sit DEUS independens, adeoque nihil beneplacito ejus resistere queat; eadem mentis operatione patet ipsi competere quoque jus plenum de rebus creatis disponendi, nec nos proinde ex proprio arbitratu, sed ad voluntatem DEI, nostras actiones determinare debere. Verum enim vero DEUS vi fancitatis suæ constanter vult, quod rectum est, & cum perfectionibus ejus necessariam infert congruentiam, ergo non potest non approbare quicquid ad eas manifestandas suscipitur, adeoque etiam sui cultum velle; neglectum verò nolle (§. II.) Qua propter cum creatio & conservatio sint primi aetius, per quos homo, quicquid & quantum est, se habere deprehendit, nihilque omnino ante hos actus excogitari vel fingi possit, quod nos voluntati ac dominio DEI submittat, in eodem quoque contineri primam ac genuinam scaturiginem obligationis ad obsequium ac cultum DEI exhibendum, dubio prorsus vacat. Esto igitur inordinatis hominum affectibus minus in proclivi posita res; esto grave ac onerosum debito DEUM mastra-re cultu. Qui se solvere gestit obligatione ea agendi potius, quæ voluntati DEI ejusque perfectionibus convenient, quam quæ appetitum sensitivum titillent: solvat se dependentia sua a DEO in existendo, faciatque, ut vires agendi non ipsi referat acceptas: solvat si potest, se indigentia rerum cretarum, quarum substantia & fœcunda uertas,

bertas, nec non usus fructusque in dominio DEI
sunt planè. Si fecerit, sui esto juris; sin minus,
haud ægre ferat, se vinculo quodam morali tene-
ri, omnia ipsi consecrare, cujus omnia sunt: Es-
sentiam, ut essentiæ datori par est; facultates &
agendi vires, ut in earum usu & applicatione fi-
nes divinos sibi habeat præfixos; quin, agendi liber-
tatem denique voluntate supremi Conditoris, cir-
cumscribi tanto æquius ducat, quanto evidenter
repugnat, ut vel unico momento sit maneatque
exlex.

§. VII.

Ex his ita factis quasi transactisque multa jam
deduci possent corollaria; nobis vero brevi-
tati litantibus paucissima tantum selegisse sufficiat.
Non hodie primum, aut nūdus tertius larga fuit
eorum messis, qui eo processerunt impietatis, ut
cultum Divinum, ceu subtilem imposturam & cre-
dulæ mentis pabulum traducere haud verecundati
sint; callide nugantes, eundem ideo tantum esse
excogitatum, ut consiliis suis vim addant, rude-
que vulgus eo felicius temperent, qui potentiores
in republica evadere cupiunt. Sic CICERO Lib. de
Divin. dudum conquestus est, ejusmodi homi-
num haud facile iniri posse numerum, qui sibi a-
liisque fidem facere vellent, totam de Diis immorta-
libus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus
republicæ caussâ, ut quos ratio non posset, eos ad
offici-

officium religio duceret. Neque his diffona sunt, quæ citeriori ævo inculcavit, princeps ille pseu-
do-politicorum **MACHIAVELLUS**, ut nihil dicam de
CRITIA, **TOLANDO**, aliisque pristini & præsentis ævi
ejusdem nequitiae asseclis. Fateor sublata obliga-
tione ad cultum Divinum, simul tolli, reveren-
tiā & metum summi Numinis; nihil ergo, præ-
ter naturalia actionum consecraria mala, ad con-
tundendam & reprimendam malorum protervi-
am, fore residui, & ubi hæc deficiunt, omnia
ex æquo licita fieri, paœta servare, fidem fallere,
furtum, cædes atque rapinas exercere, immo i-
psi principi, in cuius capite vertitur salus rei pu-
blicæ, obsequium præstare, aut vim & manus
inferre, inter ea, quæ non in virtutibus, neque
vitiis numerantur, locum nullo negotio invenire
posse. Quæ cum fini creationis nec non naturæ
specialis indoli adversentur omnia, cui non ma-
nifestum est quæso? hinc recte dici, religionem
ac cultum Divinum esse non modo societatis hu-
manæ universalis, verum & omnium in ea re-
rum publicarum firmissimum palladium ac ulti-
mum robur. Vid. **PUFEND.** off. Hom. & Civ. cap. 5.
§. 9. item **GROT.** de. J. B. & Pac. L. II. cap. 20.
§. 44.

Illa v. de quibus modo, profanæ impiorum ceter-
væ ne minimum quidem favere, vel is demum haud
difficulter intelliget, qui meminerit, cultum & ob-
sequium DEO exhibendum non felicitati ac per-
fectioni vel privatæ vel sociali (Vid. §. V.) sed
inti-

intimæ nostræ a DEO dependentiæ suam debere originem (§. VI.). Ut adeo, si vel maxime nullæ unquam exstisissent societates civiles, vel ideo tamen sarta tectaque maneret obligatio ad DEUM colendum, quod dependentia hac soluti ulla neque mentis agitatione concipi possint mortales.

§. VIII.

Inter theologos, pariter ac philosophos, recentiori in primis ævo, anceps & per ardua sane agitata fuit controversia de naturali hominis obligatione ad cultum DEI externum. Cardo quæstionis non in eo vertitur, an DEUS dignus sit, qui externis devoti animi ac venerationis signis celebretur; neque an principiis sanæ rationis plane repugnet, opere quodam, in sensus incurrente Divini Nominis gloriam intendere? prius enim æque ac posterius abnuere velle, dictu omnino impium foret. Sed de eo potissimum controvèrtitur, an ratio sibi relictæ demonstrare possit, DEUM ab hominibus cultum externum exigere? atque hoc difficilime procedere contendit THOMASIUS in Jurispr. Div. L. II. cap. 1. §. 2. sqq., ut KYDIGERUM silentio præteream, G. TITIUM, aliosque. Sed nec defuncti acerrimi ingenii ac maximi nominis viri, qui speciosis, certe non obtentui sumtis rationibus contrariam tuentur sententiam. In primis subtile WOLFI argumentum eodem spectat: quod, si DEum serio & toto pectore, quemadmo-

admodum fas est, colere voluerimus, permagni
interesse ait, ut attentionem nostram, quam objectis
externis saepius distrahi novimus, excitemus, excita-
tam conservemus & cum affectu promoveamus: id
vero tum demum fieri, si interiorem animi devo-
tionem symbolice, seu per signa externa exprima-
mus. cui rei addit hunc quoq; nervum, quod alios
hac ratione nostro hortemur exemplo, ut eundem i-
mitentur ardorem. Sed utut haec sese habeant,
scrupulus tamen manet, utrum actibus externis
eadem apud omnes constet vis atque robur; mul-
to magis an interior animi devotio ritu quodam
in sensus incurrente semper & ubique ad altiorem
elevari possit gradum. Verius sane, saltem simpli-
cier, dici crediderim, totum hominem a Deo de-
pendere, ejusque dominio esse subjectum (a) (§.VI.)
Ex hoc enim fonte, cum homo non solummodo
MENS, sed praeter animam rationalem etiam cor-
pore organico instructus sit; suapte fluit natura,
DEUM non animæ solum, sed & corporis viri-
bus, quarum beneficio inferior mentis affectus
coram aliis declaratur, religiose omnino esse co-
lendum. Quotquot non à nobismet ipsis sed ali-
unde dependentiam nostram habere agnoscimus,
jure DEI & jure societatis, quæ ad DEUM suo quo-
dam necessitatis vinculo ordinata est, obstricti su-
mus ad eundem corpore convenienti modo co-
lendum; id est publicè & privatim obligationis no-
stræ sanctitatem declarandam.

(a) Est, inquit HOCSTETERUS, omnis ostentationi
inimi-

inimica pietas. Interim cum sit religio actus hominis, non animo solo, sed & corpore, parte utique homines verâ constantis, etiam exteriorem corporis habitum interiori conformem esse convenit.

§. IX.

Indidem coronidis loco etiam facile constat, quâm miseri & sibi iniqui sint censendi vel, quod res ipsa, ut potius credam, postulat, quâm inani spe decipiantur, qui, cum HERB. de CHERBERY, (a) aliisq; earundem partium, manibus pedibusque id enixe agunt, ut cultum DEI naturalem ad liberandum hominem e communi miseria, & æternam beatitudinem consequendam sufficientem esse, obtineant. Etenim ad illimitatum DEI imperium, nostramque ab illo intimam dependentiam condigna & venerabunda mente attendentes, facile perspicimus, DEUM non qualemcunque, sed exactissimum exigere cultum, nobisque ideo, ne fine

G

suo

(a) EDWARDUS HERBERT. B. de CHERBERY duobus Anglia regibus, superiore seculo à secretis regni consiliis, arte & marte illustris erat; futurus illustrior, si iis, quæ sui moduli non erant, abstinuisset, & saltem quæ civitatis erant, negotia curasse. Idem de rebus Divinis latus sententiam, dixisse fertur: de revelatione neminem certum esse posse, nisi cui immediate illa contigerit. Cumque ex lumine naturæ satis aptè constet, ab homine quid sibi fieri velit DEUS, ad quinque axiomata theologiam & moralitatis doctrinam omnem redigere non dubitavit.

suo excideret, eidem præstanto pares omnino concessisse vires. Unde mox planum fit, homines ad legem Divinam, quæ præcipit ut ipsum colant, omni folicitudine sanctitateq; servandam esse obligatos, idque adeo usque, ut per integrum vitæ curriculum, nec inscie, nec præcipitanter, multo minus deliberate, digitum transversum aut latum ungvem ab ea recedere lieeat. Quod si jam actiones nostras cum iis, quas nobis injungit hæc lex Divina, sine fuco & adulazione conferamus, haud obscure animadversuri erimus, neminem esse unum, qui eam rite adimpleverit. Constat vero, in omni transgressione legis Divinæ lædi ipsum DEUM, Ens illud infinitum, cui existentiam, agendi vires, & quicquid deum est boni, acceptum ferimus (§. VI.), quique vel hoc nomine tantum habet jus postulandi obsequium, quantum est, cum maximum esse solet. Quamobrem, cum ex gravitate & copia motivorum transgressioni legis obstantium, peccati gravitas æstimari debeat, adeo ut, quo excellentior sit, qui læditur, & quo plus juris habeat

Sunt species *naturalismi* varia, omnes ferè à PELAGIO, seculi quinti hæretico nobili notoque, arcessendæ, qui virtibus naturæ tantum tribuit, ut gratiæ divinæ locus prope nullus superesset. Verum sicut contra BODINUM, præcipue vero CHAUVINUM blandâ hæresi eadem infestum BUDDEUS: ita versus HERBERTUM datâ operâ calamus strinxit b. JOANNES MUSÆUS Jenensis Professor in dissertatione de *luminis naturalis* & eidem innexae theologiae naturalis insufficientia ad salutem. Quibus adjunge

beat poscendi obsequium, eo fortiora inde concipiantur a malo abstinenti motiva praesto esse, & perinde majus delictum: sponte sequitur, nullum adeo leve concipi posse peccatum, cui non tanta adhæreat gravitas, ut major dari nequeat, i. e. infinita. Ast pariter in confessio est, nullam læsionem, morali sensu, rescindi posse, nisi intercedat satisfactio gravitati illius proportionata; alioquin daretur aliquid in damno, cui nihil in compensatione responderet, quod ergo non rescinderetur: Intelligitur adeo, ob quodlibet delictum infinitam requiri satisfactionem, quam nemo mortalium solidis naturæ viribus, utpote quæ a vera infinite infinite distant, praestare valet. Utrum vero DEUS satisfactionem Vicarii acceptare velit, qui loco hominum praestaret, quod ipsis praestandum erat; an talis detur, & qualis demum sit, id ratio sibi relicta hactenus ignorat, nec quisquam illius innixus principiis, in posterum ita evidenter probaverit, ut nullum prorsus mentem obfideat dubium. Unde & in proclivi est videre, quam par-

rum

sis non exiguum numerum eorum, qui de *necessitate revelationis*, cum primis autem veritate religionis Christianæ ennumerationes ediderunt. Cum quibus agere censendi sunt etiam, qui de lumine *naturæ*, hoc est, intellectu & voluntate ad obtainendos fines suos naturales, improprio natis scripserunt, & ex illa præcognitâ veritate, statum, in quo conditum fuerit genus humanum, perfectionem fuisse aliquando, ratione ad cognitionis evidentiam prope accedente, colligunt.

rum valeat cultus DEI naturalis ad creaturas nullius non culpæ obnoxias, ex communi miseria liberandum, & æternam, post fata beatitudinem obtinendam. Tu igitur, O Summe DEUS? perge cultum tuum revelatum ita mentibus nostris inspirare, ut TUAM progeniem esse, à TE vivere, esse atque moveri nosmet, qua par est, humillima mente agnoscamus. Fac ut tensis ad sidera palmis constanti amoris & fidei ardore incaescat mens nostra, donec eo translati fuerimus, ubi nihil tenebris circumfusum, tempore nullo languescit TUI fruendi desiderium. dum fiet ut qui totum terrarum orbem imples gloriâ TUA, toto pectore in secula nunquam terminanda TUAS laudes gratâ prædicatione simus concelebraturi.

T A N T U M.

